

AD CENSURAM CAPITIS XX.

In quo agitur de divinis comminationibus ac impiorum pænis, tum ad hanc tum ad futuram vitam pertinentibus, puta Reprobatione, Iuduratione, Excæcatione, deq; æterna morte & damnatione.

Prima huius capituli Censura merus cavillus est. Per pænas ad hanc vitam pertinentes, intelligunt Remonstr. pænas, quæ homini in hac vitâ infliguntur, & sic ad hanc vitam pertinent. Phrasin hanc usurparunt juxta propriam ejus significationem, non autem juxta Scripturæ stylum: Deinde Reprobationem non vocant temporalem punitionem, uti Censor perperam affirmat, nisi per vocem temporalem intelligatur punitio, quæ in hoc vitæ tempore contingit, quo sensu Reprobationem temporalem punitionem vocari posse, mirum est a Censori negari, cum ipse in disputat: sua de prædest. Thel. 45. quæ in Synopsi purioris Theologiæ existat, disertè *aliam æternam, aliam temporariam Reprobationem esse affirmet, & eum in finem locum ex Jerem: vj. 30. citet, ubi Deus de maxima populi parte ait; Argentum reprobum vocabuntur illi, quia Jehova abiecit vel reprobavit eos.* Ineptè verò temporalem & spirituales opponit Censor: Sed omiſſis vocibus, rem videamus. *Reprobationem, inquit Censor, definiunt eorum impiorum & incredulorum, qui præfractè credere ac resipiscere nolunt, & licet diu multumq; vocati, moniti, reprehensi, &c. nihilominus tamen Evangelio inobedientes esse pergunt. Qui ergo tales sunt, inquit, ex Remonstrantium sententia, sola temporali reprobatione puniuntur, non etiam æternâ.* Duplex inconsequentia hic apparet. Nam I. non sequitur, Ergo illi tales temporali reprobatione puniuntur. Quid si enim Deus eos tales è vita tollat, prout merentur, & non rarò etiam facit? sequitur tantum, Ergo, qui reprobantur ista reprobatione, ij puniuntur pænâ, quæ in hac vita locum habet. II. Nec sequitur, Ergo tales sola temporali reprobatione puniuntur, non etiam æterna: Sed tantum sequitur, Ergo reprobatio ista censenda

Pæne ad hanc vitam pertinentes in hoc capite vocantur quæ in hac vita infliguntur, & sic temporales dici possunt.

Quo sensu Reprobatio a-ctus divini iudicij ad hanc vitam pertinens vocetur a Remonstr. contra Censoris exceptionem,

fenda